



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

54. Quomodo casula D. Bennonis dæmon fugatur & de pœna Marchionis
Misnensis Ecclesiasticam libertatem violantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

& ipse celeriter est extinctus, aeternæq; morti
contradictus.

*Victor lib. 1. de persecutione Vandalica Pro-
culus Arrianus ex Pallis altarium, camisas
sibi & femoralia faciens, turpissima morte
diuinitus consumitur.*

CAP. LIII.

Gaisericus cum immanissima persecuti-
one in Catholicos crudelissimè defæui-
ret, mittit Proculum quendam in pro-
uinciam Zeugitanam, qui cunctos domini sa-
cerdotes coarctaret, ad tradendum ministeria
diuina vel libros, vt primò armis eos nudaret,
& ita facilius inermes hostis callidus capti-
uasset. Quibus se non posse tradere clamanti-
bus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur,
atque de pallis altaris (prò nefas) camisas sibi
& femoralia faciebat. Qui Proculus huius
rei executor, frustatim sibi comedens lin-
guam, in breui turpissima consumptus est
morte.

*Hieron. Emserus in vita S. Bennonis, Episco-
pi Misnensis cap. 32. habetur autem in
tom. Suriy, 16. Iulij. Casula D. Bennonis de-
mon fugatur, & de poena Marchionis
Misnensis Ecclesiasticam libertatem vio-
lantis.*

CAP. LIV.

Matrona quædam Misnensis diœceseos
ex villa Pretzendorpff, propè Friber-
gam, nostra hac tempestate dæmonio

arrepta, ad sepulchrum diui Bennonis adducta, cum nullis dæmon exorcismis ab ea fugari posset, inducta est tandem diui Bennonis scabula, & datus in manu baculus pastoralis, quo facto, exclamauit dæmon. Nunc tempus est vt egrediar: relinquam tamē hospitiæ meæ signū, quò mei perpetuò meminerit. Mox que aperto altero mulieris ciure, terribiliter elusus est. Foramen autem quod ille fecerat, nulla medicorum arte sanabile, mulier adhuc hodie gestat, & vt timendum est, donec vixerit non abolebitur. Præterea vt pius erga supplices, ita seuerus in obstinatos, diuus pater iuxta promissa sua sæpius inuentus est. Marchionem enim wilhelmum, cum qui Grymnis mortuus est, cum præpositus olim Misnensis Brutenus nomine sæpè adhortatus esset, vt ab exactiōibus, & seruitijs, quibus colonos ac subditos Ecclesiæ Misnensis præter ius ac consuetudinem, prægrauabat, disisteret, nec eum ab incepto posset deflectere, ad auxilium tandem diui Bennonis confugit, (qui exoratus tandem assiduis præpositi precibus) Marchioni in somnis apparuit, arguens & commonefaciens ad remittenda iniusta gravamina. Cumque is consiliariorum suorum suafu, dicentium non esse curanda somniorum deliramenta, in nullo se emendaret, alia vice per quietem, iterum visus est sibi Benno irruere, & face quam manu gestabat alterum ocellum inurere. Qui mane surgens & eluscatum se sentiens, tandem com-

pun-

punctus corde, Ecclesiæ Misnensi non solum data refarciuit damna, verùm insuper multa contulit donaria, quibus, vt sperandum est, benedictionem pro maledictione à Deo promeruit. Legitur tamen tam hunc quàm diui Bennonis percussorem, spe proliis à Deo frustratos absque legitimo decessisse hærede, in poenam lætæ Ecclesiasticæ libertatis.

Gregorius Turonensis lib. 1. cap. 17. De miraculis D. Martini. De fure, qui paupercularum sanctimonialium aluearia furatus, infelici morte subito interijt.

CAP. LV.

IN porta Ambianensi, in qua quondam beatus Martinus pauperem argentem chlamide decisa contexit, oratorium à fidelibus est edificatum, in quo nunc puellæ religiosæ deseruiunt ob honorem sancti antistitis, parū habentes facultatis, nisi quod eas deuorum alit sæpè deuotio. Quodam autem tempore pauca apum aluearia eis fuerant data, quæ cum quidam intuidus aspexisset, ait intra se. Vtinā aliquid de his vasis possem auferre. Sequuta autem nocte instigatus à dæmone, ablatis tribus vasis nauim onerat, vt scilicet transito amne sibi facilius, quæ abstulerat, vendicaret. Sed credo ei impedimentum fuisse hoc furtum, sicut postea manifestè probatum est. Igitur cum sole oriente ad portum fluminis causa transmeandi homines properarent, nauim ad litus aspiciunt, apesque ex aluearijs cateruatim emer-